

ea quam supra proposui conjectura acquiescere, quam temeritatis crimine onerari malo. Silentio interea praeterire nequeo lectionem Cod. Kenn. 291. a KENNICOTTO praetermissam, quae aliquid roboris interpretationi vulgari addere videtur. Habet nimirum in margine Keri כִּרְיָהוּ, apertum itaque testimonium exhibet, lectionem hanc olim in codd. etiam hebraicis fuisse longe, quam nunc est, frequentiore.

OBSERVATIO II. AD Ps. VII, 9.

Postquam in antecedentibus versibus vates precibus ad deum fuis questus erat de hostium injuria, falsisque quibus famam illius aspergere solebant criminationibus; innocentiam suam tandem a deo vindictam iri sperat, illumque ad ultionem provocat. Sistit itaque deum tanquam iudicem in tribunali sedentem, cinctum populorum corona, atque sententiam contra iniquos e coelo quasi pronunciantem. *Sur.*

ge, inquit, Jehova ultor, contra hostium meorum furorem te extolle, adsis mihi tu qui justitiam pollicitus es. Cinctus sis gentium agmine, summumque tribunal conscendas. Jehova, gentium iudex, de me quoque sententiam secundum probitatem integritatemque meam pronuncia. Turbat in hoc versu sensum vox עָלַי eumque maxime frigidum reddir, si vertatur: quae est penes me. Quae vocis עָלַי significatio ne quidem exemplis probari potest, cum ea quae afferuntur Ps. XVI, 6. XLII, 5. et Hof. XI, 8. a nostro loco, et sensu, et dictionis forma aliena sint. Si conjecturae locum hic darent veterum interpretum codicumque manuscriptorum varietates, suspicarer pro עָלַי legendum esse אֵלַי vel עָלַי: sed nulla in his deprehenduntur lectionis corruptae locique adfecti vestigia, quibus audacior ejusmodi coniectura tueri se possit. Alexandrinus enim, Vulgatus, Aquila, Symmachus, et Hieronymus vocem עָלַי ad verbum, quamvis inepto et languente sensu,

exprimunt. Omittunt illam quidem Syrus
 atque Arabs, sed magis fortasse quod
 pleonastice illam hoc loco positam arbi-
 trati sunt, quam ob codicum quos secuti
 sunt a consueta lectione aberrationem.
 Chaldaeus supplet vocem פֶּרַע quae alias
 hebraico גָּמַל respondet, ut v. c. Ps. XIII,
 6. ejusque auctoritatem secuti HVBIGAN-
 TIVS et KÖHLERVS, in hebraico etiam tex-
 tu vocem גָּמַל post עָלַי inferendam esse
 monent, eamque ob soni vocis sequentis
 יִגְמַר similitudinem facile excidere potuisse
 asserunt. At enimvero neque Chaldaei in-
 terpretis auctoritas, in ejusmodi ellipsis
 supplendis suo i. e. paraphraetae jure uten-
 tis, tanta est, ut unico ejus testimonio fre-
 tus refingere textum hebraicum, novisque
 verbis ditare auderem, neque nostri loci
 ratio ita comparata, ut ad ejusmodi reme-
 dium confugiendum nobis esse videatur.
 Melius fortasse sensui hujusce loci succur-
 ritur, nexusque orationis restitui potest,
 si mutatis tantum punctis vocalibus, aliaque

versuum divisione instituta, vox עָלַי enun-
 ciata עָלַי jungatur verbo sequenti יִגְמַר in
 Niphal יִגְמַר pronunciando, quocum etiam
 Ps. LVII, 3. עָלַי junctum, et simili modo
 Ps. CXXXVIII, 8. cum בְּעָדַי constructum
 prehenditur. Sensus inde prodit pro-
 bus, atque orationis nexui consentaneus
 hic: *perficiatur, desinat mei causa iniquitas
 vel malitia perversorum, i. e. finis illorum co-
 naminiibus me destruendi imponatur.* Ex par-
 te eandem interpretationem praeivit *illu-
 stris* MICHAELIS et S. V. SCHVLZIVS,
 quorum ille יִגְמַר legendum, hic etiam
 עָלַי cum hoc יִגְמַר conjungendum esse sta-
 tuit, in eo tamen a nostra explicatione di-
 versi, quod ille vocem עָלַי prorsus tan-
 quam pleonastice positam neglexit, hic ad-
 scita alia verbi גָּמַר significatione, reliquis
 locis ubi idem verbum occurrit parum
 conveniente, interpretatus est: *depellatur
 a me malorum iniquitas.*